



**Theologia Scholastica Secundum Viam Et Doctrinam D.
Thomæ Aquinatis, Doctoris Angelici**

In Celebri Archiepiscopali Benedictina Universitate Salisburgensi, methodo
& norma ibidem usitata publicè tradita, & in IV. Tomos digesta ; Qvorvm
Primvs Tractat De Deo Vno Et Trino, Deq[ue] Creatura Angelica ...

Mezger, Paul

Augustæ Vindelicorum, 1695

§. I. Reijcitur entitas habitualis positiva.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74152](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74152)

6. *Privatio gratia in facto esse non est prior quam peccatum habituale.*
7. *Privatio gratia ut moralis & voluntaria non est a DEO.*
8. *Est semper voluntaria saltem indirectè, & interpretativè.*
9. *Pluralitas peccatorum habitualium oritur à connotatione diversorum peccatorum actualium.*
10. *Peccata possunt remitti per solam infusionem gratia.*
11. *Non autem per solam condonationem extrinsecam.*
12. *Peccatum habituale reducitur ad speciem peccati actualis.*

§. I.

Rejicitur entitas habitualis positiva.

CONCLUSIO PRIMA. *Peccatum habituale formaliter non consistit in positiva & habituali entitate hominem convertente in ultimum finem creatum.*

Hanc assertionem probant omnia argumenta, quibus antea probavimus, peccatum actuale formaliter non consistere in positivo. Et ulterius probatur primò luculentà autoritate Doctoris Angelici, qui hanc ipsà quaestione a. 1. ad 3. *Macula*, inquit, *non est aliquid positivè in anima, sed significat privationem quandam nitoris, &c.* Et in 4. dist. 18. q. 1. a. 2. quaestiu. 1. *Ex peccato non remanet positivè aliquid in anima, nisi dispositio vel habitus, qua consequuntur peccatum ex parte actus, ex quo aliquid ponit: sed macula non est dispositio ex actu causata, nec habitus: quod patet ex hoc, quod dispositio & habitus possunt sine gratia destrui per contrariam consuetudinem: macula autem sine gratia non auferitur: ergo macula non ponit aliquid positivè in anima.* Quid clarius?

Dices fortè, hunc textum contineri in argumento sed contrà, ex quo nondum sufficienter colligitur mens & sententia S. Doctoris: sed contrà est, quod hoc ipsum repetit in corp. illius quaestiu. *Ex hoc, inquit, aliquid maculatum dicitur, quia debite pulchritudinis patitur detrimentum, unde macula secundum quod hujusmodi, non habet, quod aliquid ponat, &c. & post pauca: Unde ipsa macula, quantum in se est, non ponit de essentia sua nisi privationem gratia, &c.* Ex quibus

Probatur secundò ratione. *Habitus vitiosi possunt per actus contrarios destrui sine infusione gratia: saepe etiam habitus vitiosi remanent post infusionem gratia: ergo non potest in habitu vitioso constitui macula peccati.*

Probatur tertio. *Circa finem ultimum peccatoris non est constituendus habitus voluntati superadditus: sed peccatum habituale est circa ultimum finem peccatoris: ergo non est constituendum in habitu voluntati superaddito.* Major probatur: *Natura lapsa sibi relicta, & gratia supernaturali destituta per seipsam inclinatur in bonum proprium & privatum, quod est ultimus finis peccantis: ipsa quippe est inclinatio totius suppositi: ergo frustraneus est habitus superadditus, qui faciliet hanc inclinationem.*

Probatur quarto. *Habitus voluntatis gene-*

rantur per frequentatos actus, & per oppositos corrumpuntur: sed macula peccati per unicum actum generatur, & per infusionem gratia sanctificantis instantaneè corrumpitur: ergo macula peccati non potest consistere in habitu.

Probatur quinto. *Non minus peccatum omissionis causat maculam, quam peccatum commissionis: sed illa non potest consistere in positivo, uti nec ipsum peccatum omissionis: ergo nec de de ratione maculae, quòd sit aliquid positivum.* Adde, quòd macula, quae deletur per gratiam, immediatè subiectetur in anima; quicquid vero positivum resultat ex actu peccati, subiectetur in potentis animae, adeò quae macula, & positiva inclinatio subiectis distinguantur.

Dices: *Actualis conversio in bonum creatum est quid positivum: ergo etiam habitualis conversio consistit in aliqua inclinatione positiva: atqui peccatum mortale habituale dicitur habitualem conversionem in bonum commutabile, sicut actuale dicit conversionem actualem: ergo peccatum habituale consistit in inclinatione positiva ad bonum commutabile.*

Respond. dist. consequens: *consistit in aliqua inclinatione positiva, quae sit ipsa voluntas hominis, concedo; quae sit qualitas aut habitus superadditus, nego consequentiam.* Subsumptum distinguo: *peccatum mortale habituale dicit habitualem conversionem connotativè, & de suo substrato, concedo; formaliter, nego subsumpt. & consequentiam.* Imò retorqueo argumentum: *formale peccati actualis non nisi connotativè & de substrato importat conversionem positivam actualem, indistinctam ab ipsò actu voluntatis: ergo formale peccati habituale non nisi connotativè & de substrato importat conversionem habitualem, & ipsa tamen voluntate indistinctam, erga bonum creatum.* Unde hæc paritas illis tantum est solvenda, qui peccatum actuale formaliter in positiva entitate constituit.

§. II.

Sententia Thomistica.

CONCLUSIO SECUNDA. *Macula peccati mortalis consistit formaliter in privatione gratia sanctificantis cum ordine ad suam causam, quae est peccatum præteritum.* Ita Thomista communiter.

Prima pars probatur primò rejectione priorum sententiarum sic breviter contractà. *Macula peccati non potest consistere in formalitate actus peccantis extrinseca, neque moraliter solita intrinseca; ergo in formalitate physicè intrinseca: sed hæc non potest esse positiva: ergo privativa.* Si privativa: ergo illius pulchritudinis & nitoris, quo anima constituitur sancta DEO grata & habitualiter ordinata in finem supernaturalem: sed hæc est gratia sanctificans nec alia forma est assignabilis. Unde sicut homo per gratiam significantem formaliter denominatur justus & DEO gratus, sic per oppositum habituale peccatum formaliter denominatur justus, DEO offensus, inimicus, &c.

Probatur secundò. *Cum macula ex ipsò peccato impositione formaliter specificet caritatem*